



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Epitome Instituti Societatis Jesu

Sesti, Curtius

Bruxellis, 1690

Sect. I. Vnde fluxerit potestas admittendi in Societatem.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-68440](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-68440)

tempore, neque ulla ratione debet præ-
tendere potius hunc, quàm illum Gra-
dum; interrogandusque an ad hujusmodi
indifferentiam sit paratus. *p* Non prohi-
bentur tamen iidem, post orationem,
simpliciter Superiori proponere, quod ad
Dei Gloriam fore judicaverint. *q* Præterea
examinandi de reliquis, prout magis con-
venire videbitur. *r*

p Ex. c. 1. §. 11.
& c. 8. §. 1. 2.

q Ex. c. 8. A.

r Ex. c. 8. §. 3.

3. Rarò tamen aliqui, ut Indifferen-
tes, admittendi, & ex iis, qui sic ad-
missi sunt, ultra tempus biennii proba-
tionis nemo detinendus in hoc Indifferen-
tium gradu, sed eo expleto determinen-
tur ad aliquem aliorum. *s*

s Pauci sint, nec
detineantur ul-
tra biennium.


s Reg. Prov.
67. & C. 4.
D. 52.

C A P U T III.

De Potestate admittendi in
Societatem.

S E C T I O I.

*Unde fluxerit potestas admittendi
in Societatem.*

1.  UEMADMODUM Societatis
Fundatio, quod reliquis
etiam Religiosis Ordinibus
commune est, pendet à Sum-
mo Pontifice: ita ab eodem, unà cum
prima

*Prima Confir-
matio Societatis
& Facultas ad-
mittendi, sed
limitata.*

prima sui confirmatione, fluxit in Societatem J E S U facultas admittendi eos, qui hanc vivendi normam sequi vellent. Et 10. quidem Paulus III. *a* Confirmans Institutum Societatis, contulit ei pariter potestatem aggregandi novos Socios: noluit tamen hanc concessionem extendi ultra numerum sexaginta personarum, oblatam Normulam profiteri volentium. *b*

a Paul. III. p. 7. &c.

b Id. p. 16.
Secunda sine limitatione.

2. Idem Pontifex triennio post professus se ad id moveri, ut Fidei orthodoxæ dilatatio subsequatur, sustulit terminos præscriptos, & liberè potestatem indulisit aggregandi Societati, sub votis per Socios ejusdem Societatis emitti solitis, quoscunque Fideles, qui probationes Societatis expleverint. *c*

c Paul. III. p. 17. &c.

Tertia cum facultate admittendi Coadjutores.

3. Cùm autem in prædictis concessionibus nulla esset facta mentio Graduum Coadjutorum, qui numquam Professionem emittunt: idem Pontifex concessit, ut de cætero Sacerdotibus, qui nos in spiritualibus, & personis secularibus, quæ nos in temporalibus, & officiis nostris domesticis coadjuvent, uti possemus; qui pariter, post statutas probationes, ad eorum majorem devotionem, & majus meritum, tria vota paupertatis, castitatis, ac etiam obedientiæ, quantum est

est ex parte ipsorum, perpetuæ emittant. *d*
 In qua concessione nullus definitus est *d* Paul. III. p.
 numerus Coadjutoribus Temporalibus; at 29. &c.
 Spiritualibus vigesimus præfixus est; *e* *e* Paul. III. p.
 quam limitationem mox idem Pontifex 31.
 sustulit, concedens ut ad alios quoscum-
 que idoneos ea facultas protenderetur. *f* *f* Ibid. p. 52.

S E C T I O I I.

*In quibus jure ordinario & extraordi-
 nario Potestas admittendi resident.*

1. Igitur ex præmissis Pontificiis con-
 cessionibus Præpositus Generalis per
 se, & per alios admittere in Domibus, vel
 Collegiis, vel ubicumque libeat, poterit
 eos, qui ad Institutum Societatis idonei
 videbuntur. *g* At quibus, & quantum hæc
 facultas communicanda sit, judicabit idem
 Generalis. *h* Ordinario etiam jure admit-
 tere possunt Provinciales, & quidem
 etiam eos, qui sunt absentes. *i*

2. Extraordinariam potestatem admit-
 tendi habet quivis Commissarius Præpositi
 Generalis, vel ejusdem Provincialis. At
 Rectoribus Collegiorum, & Præpositis
 Domorum magis consuetum erit commit-
 tere, ut quos idoneos judicabunt Domi-
 suæ, aut in Collegio possint admittere,
 cura

*Facultas admit-
 tendi Ordinaria
 in Generali, &
 Provinciali.*

g P. 9. c. 3. §.
 1. & P. 1. c. 1.
 §. 1.

h P. 1. c. 1. §. 1.
i P. 1. c. 1. B. &
 Reg. Prov. 32.

*Extraordinaria
 in Visitationibus
 aliis.*